

076

074

080

070

085

065

125

025

175

**Modus quomodo F. F. F. se disposuit ad secundam
Evagationem vel peregrinationem Terrae Sanctae,
Jerusalem, Syon, et montis Synai.**

Evagatione mea prima peracta, ut pro parte recitavi, sanus quidem corpore Ulmam veni, et in apparentia laetum jocundumque me exhibui: tristis tamen et inquietus animo et corde fui, propter sollicitudinem et curam, quam me habiturum sentiebam pro alia peregrinatione et reditu ad terram sanctam et Jerusalem: sicut proposui in egressu meo de civitate sancta, quod tamen propositum nulli hominum manifestavi. Nequaquam enim contentus fui de peregrinatione prima, quia nimis festina fuit et brevis, et per loca sancta cucurrimus absque intellectu et sine affectu. Non etiam dabatur nobis tempus visitandi quaedam alia loca sancta tam in Jerusalem, quam extra. Nec permissi fuimus nisi semel duntaxat circumire montem oliveti, et loca ejus; et Bethleem ac Bethaniam non nisi semel, et in tenebris vidimus. Idcirco postquam Ulmam redii, et de sepulchro sanctissimo Domini ac praesepio ejus et de civitate sancta Jerusalem et de montibus per circuitum ejus cogitare cepi, species, formae et habitudines illorum locorum et aliorum fugerunt a me, et apparebat mihi terra sancta et Jerusalem cum locis suis sub quadam caligine tenebrosa, ac si in somnis ea vidissem. Et videbatur mihi quod minus scirem de omnibus locis sanctis, quam ante eorum visitationem; unde accidit, quod interrogantibus me de locis sanctis nullum verum dare potui responsum, nec certum conscribere Evagatorium. Vehementer ergo dolui, quod tantas misérias, angustias et labores (**B**) habueram, tantas etiam pecunias expenderam, tantumque temporis perdideram, sine fructu, sine consolatione, sine cognitione. Saepe dum pro mea consolatione me converti ad cogitandum de Jerusalem et locis sanctis, et dubiosa imaginatio mihi occurreret, mihi ipsi cum indignatione respondi: desiste quaeso de illis locis cogitare, putas enim te ibi fuisse. Ex his tunc inardescibat desiderium redeundi ad experiendum veritatem. Sed mox sequebatur in me nova tristitia, ex eo quod redeundi modum videre non

Ende

Anfang